



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus de Conscientia, de Legibus, de Peccatis, de Virtutibus
Theologicis, de Religione, & Beneficiis. Adjunctis in hac editione
Propositionibus ad hanc usque proscriptis

Antoine, Paul-Gabriel

Ingolstadii, 1734

VD18 90392140

Cap. IV. De Conscientia, & opinione probabilil.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40986

CAPUT IV.

De Conscientia & Opinione Probabili.

Not. 1. Opinio probabilis speculative, ac secundum se est opinio verisimilis, sed non evidenter vera: Sive est opinio, quæ nititur motivo gravi, sed absolute fallibili. Opinio verò probabilis practice, & respective ad operantem est ea, quæ apparet ita verisimilis, seu niti motivo tam gravi, quamvis absolute fallibili, ut post diligentem veritatis inquisitionem, possit merito, ac prudenter approbari ut vera. Non potest autem merito, ac prudenter ob apparentiam veritatis approbari ut verum, quod habet majorem, vel saltem æqualem apparentiam falsitatis.

Not. 2. Opinio probabilis strictè loquendo differt à Conscientia probabili; nam hæc est actus, quo intellectus ob motivum grave, sed fallibile, judicat, actionem hinc & nunc exercendam esse licitam vel illicitam. Illa verò est actus, quo intellectus ob motivum grave, sed fallibile judicat aliquid esse licitum vel illicitum, præscindendo à praxi actuali, seu exercitio.

Not. 3. Ut opinio censeatur probabilis etiam speculative, necesse est 1. Ut nec rationi evidenti, aut principio certo, nec Scripturæ, nec Traditioni, nec Patribus, nec Conciliis, nec summorum Pontificum decre-

decretis, nec unanimi Doctorum sententiæ adverteretur. 2. Ut nitatur motivo gravi, licet absolutè fallibili. Motivum autem grave est motivum magni momenti, quod, si seorsim spectetur, nec oppugnetur motivo æquè, aut magis gravi in oppositum, per se sufficit ad eliciendum pro una parte iudicium prudens, quamvis inevidens, & absolutè fallibile. Porrò opinio improbabilis est ea, quæ nititur motivo levi & absolutè insufficienti ad prudentem assensum.

Not. 4. Probabilitas est verisimilitudo, seu apparentia veri infra evidentiam fundamento pixa: sive est motivum grave, sed absolutè fallibile, reddens opinionem verisimilem. Dividitur in intrinsecam, & extrinsecam. Probabilitas intrinseca est ea, quam facit momentum aliquod distinctum ab autoritate: seu est momentum ipsius rationis. Extrinseca est ea, quam facit momentum autoritatis Doctorum, vel testium. Doctorum tamen autoritas non movet, nisi in quantum præsumitur cum ea conjunctam esse gravem rationem, ita ut resolvatur in gravem rationem præsumptam. Quare probabilitas, quæ est ab autoritate Doctorum, non tam ex illorum numero, quam ex eorum merito, videlicet probitate, doctrinâ studiô, diligentia, ac sapientiâ metienda est. Hinc opinio probabilis intrinsecè est ea, quæ

B 3 ha-

habet pro motivo rationes ab authoritate distinctas: probabilis verò extrinsecè est ea, quæ habet pro motivo authoritatem aliquam magnam, sed fallibilem, quamvis hæc resolvatur in gravem rationem præsumptam.

Not. 5. Alex. VII. Damnavit hanc propos. *Si liber sit alicujus junioris & moderni, debet opinio censeri probabilis, dum non constet rejectam esse à Sede Apostolica tanquam improbabilem.*

Not. 6. Opinio tuta est ea, quæ removet à periculo peccandi; tutior quæ magis removet; minùs tuta, quæ minùs removet à tali periculo. Item tutior stat pro præcepto, hoc est, asserit extare præceptum jubens vel vetans aliquid. Minùs tuta dicitur favere liberati, quia negat extare præceptum, & obligationem circa aliquid, sed asserit hominem posse licitè pro arbitrio utrumvis eligere.

Not. 7. Agitur hîc de Opinione Probabili relatè ad operantem post diligentem, ac debitam veritatis inquisitionem, & motiva utriusque partis diligenter, & ex studio veritatis assequendæ expensa.

Q. 1. An licet sequi conscientiam probabilem, & minùs tutam?

Resp. Non licet, nisi probabilitas sit tanta, ut excludat omnem formidinem rationa-

na.

probabilem falsitatis, & pariat certitudinem
 moralem saltem relativam: quia, ut dixi
 c. 2. q. 1. Ad non peccandum requiritur ju-
 dicium certum saltem certitudine morali,
 quâ prudenter excludatur dubitatio, &
 peccati formido saltem rationabilis. Hinc
 non licet sequi conscientiam minùs tutam,
 & minùs, aut non magis probabilem, quàm
 sit tutior opposita, ut constabit etiam ex
 mox dicendis. E contra licet sequi consci-
 entiam unicè probabilem, vel saltem longè
 probabiliorem oppositâ, stante pro præce-
 pto, non quidem quatenus est præcisè pro-
 babilis, sed quatenus est tunc moraliter
 certa.

Q. 2. *An licet sequi opinionem minùs pro-
 babilem stantem pro libertate, in concursu
 probabilioris stantis pro præcepto?*

Resp. Nunquam licet, sed semper tene-
 mur sequi probabiliorem, & tutiorem. Prob.
 1. ex Escli. 3. *Ante omnia opera tua ver-
 bum verax precedat te, & ante omnem
 actum consilium stabile.* Ibi traditur præ-
 ceptum generale sectandi veritatem, &
 faciendi, quod in nobis est, ad sectandam
 veritatem de licitate, seu honestate actûs.
 Sed qui sequitur opinionem minùs proba-
 bilem de honestate actûs, relictâ probabi-
 liore de ejus malitia, non facit, quod in se
 est, ad sectandam veritatem de honestate

B 4

actûs:

actûs : nam sequitur partem minùs verisimilem, quæ proinde à vero magis recedere ipsi videtur, relicta verisimiliore, & veritati propiore. Ergo.

2. Ille peccat, qui facit id, quod non potest judicare prudenter esse licitum: nam ad agendum, vel omittendum licitè requiritur judicium prudens de honestate actûs, vel omissionis. At sequens opinionem minùs probabilem, & minùs tutam non potest judicare prudenter actionem vel omissionem suam esse licitam: Ergo. *Prob min.* Talis non potest judicare suam actionem, vel omissionem esse licitam, nisi in judicando præferat minorem verisimilitudinem majori, & motiva minùs gravia, motivis gravioribus, ut patet. Sed qui in judicando præfert minorem verisimilitudinem majori, & motiva minùs gravia motivis gravioribus, imprudenter judicat: Ergo sequens opinionem minùs probabilem, &c. non potest, nisi imprudenter, judicare actionem vel omissionem suam esse licitam. *Minor* patet. Et verò ut intellectus prudenter procedat in judicando, debet in judicando, quantum in se est, vitare malum suum, nempe errorem. At hoc non facit, si in judicando præfert minorem verisimilitudinem majori; nam intellectus non censetur in æstimatione prudenti vitare, quantum in se est, errorem, nisi cum in evidentibus amplectitur id, quod verum est,

est, & in obscuris id, quod, omnibus diligenter perpensis, apparet verisimilius. Quare extat præceptum generale prudentiæ, ut in evidentibus sequamur veritatem notam de honestate actus, & in obscuris verisimilitudinem majorem, & magis removens à periculo agendi contra veram legem.

3. Tenemur observare præceptum, quod sufficienter proponitur ad obligandum, ut patet; & illud præceptum sufficienter proponitur ad obligandum, quod prudenter affirmari potest, nec nisi imprudenter negari, ut etiam patet. At tale est præceptum, quod apparet probabilius, cum pro eo stent motiva graviora: prudenter enim in judicando præferuntur motiva graviora motivis minus gravibus, & major verisimilitudo minori, nec nisi imprudenter postponerentur.

4. Ut quis non peccet, debet habere iudicium saltem moraliter certum, quod actio sua sit licita. Nam homo semper tenetur prudenter agere, nec licet se exponere periculo peccandi: prudentia autem, cum sit virtus mentis practica, requirit certitudinem saltem moralem. At hoc iudicium habere non potest, sequendo opinionem minus probabilem, & minus tutam. Nam non potest illi apparere certum, quod actus sit licitus, cum illi appareat certum, quod verisimilius sit, eum esse

B 5

illi-

illicitum: hæc enim iudicia virtualiter opponuntur: *Mihi apparet certum, quod actus sit licitus, & simul: Mihi apparet certum, quod verisimilius sit, eum esse illicitum.*

¶ Quia in concursu duarum opinionum æquè probabilium tenemur sequi tutiorem, ut modò probabo. Ergo à fortiori, &c.

Hinc collige nemini licere consilium dare secundum opinionem, quæ ei minùs probabilis, & minùs tuta videtur, cum nemini liceat secundum illam operari, & nemini liceat consulere actum illicitum. Porro Adversarii fatentur, Professores in docendo teneri sequi sententiam probabilio-rem, præsertim in rebus gravibus, quales sunt, quæ ad fidem, vel mores pertinent: quia idè eis tale munus commissum est, ut Discipulos doceant probabiliora in rebus, quarum absoluta certitudo non est.

Obj. 1. Opinio minùs probabilis in alata hypothesis est probabilis, habet motivum grave, ac rationabile: ergo. *R.* Opinio minùs probabilis in concursu tutioris probabilioris, aut æquè probabilis est ad summum probabilis speculativè, secundum se, & absolutè: at non est probabilis practicè, & in ordine ad hîc & nunc operandum ex prudenti iudicio de honestate, seu licitate actûs. Habet motivum grave, aptum ad obtinendum assensum viri
pru-

prudentis, si illud spectetur seorsim, & absolute. Secus, si spectetur comparate ad motivum gravius, aut æquè grave in oppositum: nam motivum grave non potest prudenter in judicando præferri motivo graviori, aut æquè gravi in oppositum; nec proinde in hoc concursu potest fundare assensum prudentem de licitate actûs.

Obj. 2. Opinio probabilis, hoc ipso quòd sit probabilis, prudenter judicatur ut vera, etiam in tali concursu, & sic prudenter secundum eam agimus. R. Hoc est falsum, ut constat ex dictis, & ex his propositionibus ab Innoc. XI. damnatis. 3. Generatim dum probabilitate sive intrinseca sive extrinseca quantumvis tenui, modo à probabilitatis finibus non exeat, consistit aliquid agimus, semper prudenter agimus. 4. Excusabitur infidelis non credens, ductus opinione minus probabili. Ergo nec quivis alius excusabitur, si talem opinionem sequatur in iis, quæ pertinent ad mores. Præterea opinio probabilis non potest, saltem prudenter, judicari vera in concursu probabilioris oppositæ; cum sit fundamentum gravius judicandi, eam esse falsam. Idem dic in concursu opinionis æquè probabilis, quia non est potior ratio eam judicandi veram, quàm falsam; nec est sufficiens fundamentum attribuendi veritatem uni parti potius, quàm alteri, cum neutra appareat magis vera quàm

quàm

quàm falsa : unde intellectus tunc debet hæere suspensus, vel judicare rem esse dubiam.

Obj. 3. Motivum grave, hoc ipso quòd grave sit, dignum est assensu, & facit magnam spem assequendæ veritatis. *R. Dist.* Quamdiu non apparet motivum gravius, vel æquale in oppositum. *Conc.* Cum apparet motivum gravius, vel æquale pro opposita parte: *Nego.* Nam gravitas motivi vincitur per gravitatem majorem alterius oppositi, & non potest vincere gravitatem æqualem. Porro motivum grave non sic dicitur, quia meretur assensum in omni casu, sed tantum quia illum meretur, quamdiu ejus vis non superatur per majus motivum oppositum, vel non eliditur per æquale, quod vicissim elidit: nulla enim gravitas prævalere potest alteri majori, vel æquali oppositæ.

Obj. 4. Motivum per se sufficiens ad prudentem assensum semper ad eum sufficit. *R.* Motivum per se, & intrinsecè sufficiens ad prudentem assensum pro quocumque casu, semper sufficit ad prudentem assensum. At non semper ad prudentem assensum sufficit motivum, quod ad illum sufficiens est pro aliquibus tantum casibus. Motivum autem præcisè grave non est motivum per se, & intrinsecè sufficiens ad prudentem assensum pro quocumque casu: alioqui sufficeret etiam, dum postea occurrit

rit motivum evidens, & certum pro opposita parte.

Obj. 5. Lex non obligat, nisi cum certum & evidens sit illam existere. *R. Neg.* Quia 1. hoc continet laxitatem intolerabilem. 2. Inde sequeretur legem naturalem, quoad maximam sui partem, inutiliter latam esse à Deo. Nam ut patet ex dissiidiis Doctorum circa innumeros penè casus, lex naturalis quoad maximam sui partem, & innumeros penè casus non cognoscitur evidenter. 3. Sequeretur licere sequi opinionem minus tutam, quamdiu haber aliquid probabilitatis, quod damnatum est ab Innoc. XI. & econtra Cap. 44. *De sent. excom.* nam tamdiu opposita tutior non est evidenter vera. 4. Lex obligat, hoc ipso quòd sit sufficienter proposita; & est sufficienter proposita hoc ipso quòd sit probabilius illam existere: nam hoc ipso ejus existentia prudenter affirmari potest, & non nisi imprudenter negari, cum habeat motiva graviora.

Obj. 6. Potest quis per principia certa formare judicium prudens & certum, quòd liceat sequi opinionem minus probabilem, & minus tutam in concursu tutioris magis, aut æquè probabilis.

Resp. N. Nam principia Probabilistarum non sunt certa, sed controversa; imò sunt falsa, aut saltem dubia, ut patet ex nostris solutionibus. Unde non possunt fundare judi-

judicium moraliter certum de honestate actionis, vel omissionis.

Obj. 7. Summi Pontifices sæpè dispensarunt in casibus, in quibus minùs probabile erat, eos posse dispensare. Ergo sæpè secuti sunt opinionem minùs probabilem, &c. *R. N. Ant.* Nam si qui in concedendis dispensationibus aliquando à communi sui temporis sententia recesserunt, ideò ab ea discessère, quia post sufficientem veritatis inquisitionem, oppositam sententiam judicârunt esse longè probabiliorem ex motivis intrinsecis.

*Obj. 8. Cap. Si vir. 2. De cognat. Spirit. dicitur: Si vir, vel mulier scienter vel ignoranter filium suum de sacro fonte susceperit, an propter hoc separari debeant? Consultationi tue taliter respondemus, quòd quamvis generaliter sit institutum, ut debeant separari: quidam tamen humaniùs sentientes, aliter statuerunt. Ideòque nobis videtur, quòd sive ex ignorantia, sive ex malitia id fecerint, non sunt ab invicem separandi: nec alter alteri debet debitum subtrahere, nisi ad continentiam servandam possint induci. Unde sic argumentaberis. Ibi Alexander III. Casum propositum decidit secundùm opinionem minùs probabilem, & minùs tutam, utpote faventem libertati, ut patet ex his verbis: *Quidam humaniùs sentientes aliter statuerunt.* Ergo.*

Resp.

Resp. N. Ant. Et dico: Eum decidisse casum secundum opinionem faventem libertati, quia ei probabilior videbatur, ut patet ex ratione, quam subjicit: *quia*, inquit, *si ex ignorantia id factum est, eos ignorantia excusare videtur: si ex malitia, eis sua fraus non debet patrocinari, vel dolus.* Quare multi Canonistæ per tō humaniùs intelligunt æquiùs, ratiōnabiliùs. Porrò ibi non permittit parenti, qui scienter filium de sacro fonte levârat, exigere debitum; sed præcisè statuit non idèò debitum denegari debere petenti. Præterea ibi agitur de eo, quod Pontifex, utpote legislator supremus, mutare poterat, si magis expedire judicaret ad amovendum peccandi periculum.

Obj. 9. Cap. Laudabilem. De frigidis. Ubi Cælestinus III. Triennium experientiæ concedit eis, qui matrimonium contraxerunt, si dubitent, an impotentia sit absoluta, vel temporalis. *R.* Ex hoc capitulo nil concludi potest contra nos: nam etiam si minùs probabile esset, illos sub finem triennii fore impotentes; tamen certum est 1. Ecclesiam in dubio an impotentia sit absoluta, an temporalis, posse certum tempus experientiæ concedere iis, qui jam contraxerunt: Alioqui si hoc non concederetur, vel Matrimonium dissolveretur in dubio de ejus valore, quod non licet; vel contrahentibus prohibendum esset, ne
in

in tali dubio uterentur conjugio, & ne aliud inirent, quod etiam fieri non potest sine injuria illorum, qui bonâ fide contraxerunt, & sine necessitate, & culpâ suâ exponerentur periculo incontinentiæ. 2. Tempus illud triennii prudenter constitutum esse, ut adhibitis mediis possibilibus, & licitis conentur impotentiam tollere: nam hoc tempus nec nimis breve, nec nimis longum est, & circa finem triennii impotentia tandem cessare potest.

*Obj. 10. Cap. Litteras. De restit. Spo-
liat. R.* In hoc capitulo Innocentius III. præcisè relinquit duabus sententiis oppositis suam probabilitatem speculativam & absolutam, quam habebant. Unde non vult damnare eum, qui alterutram eligit prudenter, ideòque putans, eam esse probabiliorem. Ipse verò tertiam eligit, quia ei videbatur probabilior, nolens tamen definire veritatem, aut falsitatem aliarum. Præterea duæ illæ aliæ sententiæ priores, quas exponit, singulæ stant pro lege, licet diversâ, non autem pro libertate: nam prima stat pro lege justitiæ, & jure mariti contra libertatem mulieris, altera verò pro lege Matrimonium inter consanguineos vetante.

*Obj. 11. Omnes ferè Doctores 17. Sæ-
culi docuerunt licere sequi opinionem
minùs probabilem, & minùs tutam.
R. 1.* Illis oppono tum veteres Doctores
qui

qui ante An. 1571. floruerunt. Nam Anton. Cordubensis in suo Quæstionario. L. 2. q. 3. postquam dixit tenendam esse partem tutiorem, quando probabilior est, addit: *& in hoc omnes Doctores consentiunt*; Tum Clerum Gallicanum, & innumeros Recentiores ex omni natione, & ordine, qui nunc remelius perpensa oppositum docent. 2. Plurimi ex illis, qui nobis objiciuntur, docuerunt solum licere sequi opinionem minus tutam, quæ communiùs ab aliis haberetur minus probabilis, quando operanti post diligentem veritatis inquisitionem apparet certò probabilior ex ratione. 3. In tantum opinio aliqua censeri potest probabilior propter majorem numerum Doctorum eam tuentium, in quantum idcirco rectè præsumitur habere pro se graviora motiva ex Scriptura, Traditione, vel Ratione petita. At jam hæc motiva habere pro se rectè præsumi non potest probabilismus, cum oppositum jam pridem à multis ostensum sit. 4. Probabilitas extrinseca petita scilicet ab autoritate Probabilistarum non plus valere debet apud eos, qui per se veritatem explorare debent, quam valeat pondus rationum quibus nititur probabilismus: quæ profectò rationes certitudinem moralem nunquam fundare possunt. 5. Sicut ille imprudenter agit, qui in agendo sequitur iudicium multorum, & gravi-

um virorum, quos ei aliunde evidens est errare: ita ille imprudenter agit, qui in agendo sequitur iudicium multorum, & gravium virorum, quos ei, omnibus maturè consideratis, verisimilius est errare. 6. Multæ olim viguerunt opiniones, quæ postea diligentius expensæ, omninò evanuerunt. *Observa.* Nemo è Societate nostra ex professo probabilissimum, cuius author fuisse fertur Bartholom. Medina ex alio Ordine, amplexus est, & pro eo scripsit, nisi postquam ita invaluerat, ut jam esset communis scholarum omnium doctrina. Nam Vasquez, qui primus è Societate nostra hunc ex professo amplexus est, testatur, tunc fuisse inter Doctores communem. Primi verò probabilissimi impugnatores è Societate nostra prodiere videlicet Rebellus Tom. I. De justitia edito An. 1608. Comitulus L. 2. Respons. Moral. q. 18. n. 6. edit. An. 1609. Et Andreas Blancus sub nomine Candidi Philaleti tract. de opinionum praxi edito An. 1642. quos secuti sunt multi alii ex eadem Societate, ut de Elizalde, Estrix, R. P. Thyrsus Gonzales Præpositus Generalis, De Camargo, Malatra, Gisbert, &c. His adde Reginal. L. 11. Cap. 3. Cardinal. Bellarmin. & plurimos Professores Theologiæ, quotidie impugnantes probabilissimum, quem Congregatio generalis 13. An. 1687. declaravit non esse doctrinam Societatis. Et verò S. Ign-

Ignatius Societatis nostræ Institutor hanc prudentiæ regulam omnibus Societatis Professoribus præscribit, ut *sequantur in quavis facultate securiorem, & magis approbatam doctrinam.* Const. p. 4. c. 5.

Q. 3. *An licet sequi opinionem minus tutam, seu stantem pro libertate, in concursu opinionis æquè probabilis tutioris, seu stantis pro præcepto?*

Resp. Neg. Quia 1. extat illud præceptum generale lumine naturali notum, & in jure canonico sæpè à summis Pontificibus traditum ut principium decisionum: *In dubiis tutior pars est eligenda.* ut c. 5. de clerico excom. *In dubiis tutior pars est eligenda.* & c. 12. de Homici. *Cum in dubiis semitam debeamus eligere tutiorem.* & c. 3. de Sponsal. *Quia igitur in his, qua dubia sunt, quod certius existimamus, tenere debemus, &c.* Alioqui enim operans exponit se periculo faciendi contra legem, & peccandi. At in concursu duarum opinionum æquè probabilium est verum dubium, ut docet S. Thom. Q. 14. De verit. A. 1. & S. Antonin. 1. p. Tit. 20. De regulis juris. Nam est vera suspensio judicii de veritate, & falsitate, ob motiva pro utraque parte æqualia: neque enim est potior ratio judicandi unam opinionem esse veram, quàm alteram, cum neutra plus minusve appareat vera, aut verisimilis quàm altera: & sic intellectus necessa-

riò suspendit iudicium. Ergo in tali concursu, eligi debet pars tutior, agendo secundum opinionem stantem pro præcepto.

2. Ex S. August. lib. 1. de Bapt. c. 3. *Graviter peccaret in rebus ad salutem animæ pertinentibus, vel eo solo, quòd certis incerta præponeret.* Et c. 5. *Accipere (Baptismum) in parte Donati, si incertum est esse peccatum: quis dubitet certum esse peccatum, non ibi potius accipere, ubi certum est non esse peccatum?* Ergo ex S. August. cum incertum est aliquid esse peccatum, & certum est aliud non esse peccatum, certò peccat, qui non eligit id, quod constat non esse peccatum. At in concursu opinionum æquè probabilium eligens minùs tutam non eligit id, quod certum est, non esse peccatum, sed id, quod incertum est, esse peccatum, ut patet, cum sit æquè probabile esse peccatum. Ergo talis certò peccat.

3. Peccat, qui agit sine iudicio prudenti, quòd actio sua sit licita. At sequens opinionem minùs tutam in allata hypothesi agit sine tali iudicio: nam non potest, saltem prudenter, iudicare non extare præceptum prohibens actionem, cum non possit saltem prudenter iudicare veram esse opinionem negantem extare præceptum: non enim habet fundamentum sufficiens iudicandi illam esse potius veram, quàm
op-

oppositam; cùm fundamenta utriusque opinionis appareant æqualia, & apparentia veri, ac falsi sit æqualis pro utraque parte contradictionis. Quare ut intellectus prudenter se gerat, debet suspendere assensum, & dissensum, cùm non habeat moti-
vum potius assentiendi, quàm dissentien-
di.

4. Opinio æquè tantùm probabilis stans pro libertate non potest afferre certitudinem moralem, quæ saltem requiritur ad non peccandum: nam motiva, quibus nititur, eliduntur per motiva opposita æquè gravia: quantam enim illa habent vim movendi ad assensum, tantam alia habent movendi ad dissensum: & sic intellectus nil habet, quo possit, saltem prudenter, & firmiter determinari ad assensum.

5. Qui se exponit probabili periculo peccandi, peccat, juxta illud Eccli. *Quia amat periculum, in illo peribit.* Sed qui facit id, quod ei apparet tam probabile esse illicitum, quàm licitum, exponit se probabili periculo peccandi, attento animi sui conceptu, cùm evidenter, & necessariò judicet esse æquè probabile actum prohiberi.

6. Qui facit, vel omittit id, quod cognoscit æquè probabiliter esse contra legem, quàm non esse, violat hoc præceptum generale obligans ad maximam sollicitudinem, & curam servandi legem. Ps. 118.

Tu mandasti mandata tua custodiri nimis.
 Idem peccat contra legem charitatis, & subjectionis ad Deum; nam hæc lex exigit, ut abstineamus non solum ab iis, quibus certo scimus Dominum, ac Legislatorem offendendum, sed etiam ab illis, quibus non constat non esse offendendum. Non enim est bonus amicus, bonus, ac fidelis servus, qui facit id, quod iudicat æquè probabile esse, quòd displiceat amico, vel Domino.

Confirmo 1. Authorit. Cleri Gallicani, qui in Comitibus generalibus an. 1700. sic ait: *Absit verò, ut probemus eorum errorem, qui negant, licere sequi opinionem, vel inter probabiles probabilissimam. Sed ad rectum usum probabilium opinionum has regulas à jure præscriptas agnoscimus. Primum, ut in dubiis de salutis negotio, ubi equalia utrinque animo sese offerunt rationum momenta, sequamur id, quod tutius, sive quod est in hoc casu unice tutum. Neque id consilii, sed præcepti loco habeamus, dicente scriptura: qui amat periculum, in illo peribit. Hæc prima regula. Altera... ut nemini liceat eligere eam sententiam, quam non veritati magis consentaneam duxerit.*

2 Authorit. Cardin. Bellarmini epist. ad nepotem suum Episcop. Thean. ubi hæc ait: *Si quis velit in tuto salutem suam collocare, is omninò debet certam veritatem*

inquirere, & non respicere, quid multi hoc tempore dicant, aut faciant. Et si rei certitudo non possit ad liquidum apparere, debet omninò tutiorem partem sequi; & nulla ratione, nullius imperio, nulla utilitate temporali proposita, ad minùs tutam partem declinare. Agitur enim de summa rei, cum de salute aeterna tractatur; & facillimum est conscientiam erroneam aliorum exemplo induere, & eo modo, conscientiam non remordente, ad eum locum, ubi vermis non moritur, & ignis non extinguitur, descendere.

Hinc non licet inire contractum, qui probabiliùs, vel æquè probabiliter apparet injustus, &c.

Obj. I. Qui sequitur opinionem minùs tutam in concursu oppositæ tutioris æquè probabilis, non agit in dubio practicè practico; sed per judicia reflexa certò iudicat se licitè agere.

Resp. I. Ex dubio speculativo seu generali necessariò resultat dubium practicum circa actionem particularem hîc & nunc ponendam. Nam cum propositio universalis contineat omnes particulares propositiones, & per illas verificetur; dubitare an aliquis contractus in genere sit illicitus, idem est, ac dubitare, an hic & ille contractus particularis participans illam rationem specificam, sit illicitus: sic dubitare, an liceat pingere die festo sine necessitate,

idem est, ac dubitare, an Petro, Paulo, &c. liceat pingere hoc die festo sine necessitate Ergo non possum dubitare speculativè, & in universali, an sit illicitus aliquis contractus, quin simul dubitem, an sit illicitus à me hîc & nunc celebrandus, si hic contineatur sub illa ratione communi, & nisi adsit aliqua circumstantia hunc contractum extrahens ab illa ratione specifica, seu communi.

Resp. II. Judicia illa reflexa adversariorum non sunt certa. Nam nituntur principiis dubiis, controversis, imò falsis: unde non resolvunt prudenter dubium, nec certitudinem moralem de honestate actionis pariunt. Quippe hæc sunt præcipua illorum principia.

1. Prudenter agimus sequendo opinionem probabilem etiam in concursu oppositæ tutioris magis, aut saltem æquè probabilis. Sed hujus falsitatem jam ostendi.

2. In dubio melior conditio possidentis; & homo est in possessione suæ libertatis circa actiones suas, quamdiu non constat extare legem eas vetantem. Sed contra est. Nam 1. hoc effatum (*In dubio melior est conditio possidentis*) valet solum in materia justitiæ, seu in rebus temporalibus, quæ subsunt potestati humanæ, & in quibus solis applicatur à jure, idque docent Vasquez, Azor, Turrian. & alii. At non

non habet locum in actibus moralibus, ubi agitur de licito, & illicito, quod non subicitur potestati humanæ; sed in his valet istud axioma, *In dubio tutior pars est eligenda*. Præterea prius effatum supponit parem causam: At in dubiis de licito, & illicito non est par causa Dei. & Creaturæ; Deus enim ut supremus Dominus habet jus prælationis in omnibus. 2. Falsum est hominem esse in possessione suæ libertatis, quamdiu lex non est certa. Nam agitur hic non de libertate facti, quæ consistit in potentia physica agendi, & non agendi pro arbitrio; sed de libertate juris, quæ consistit in potentia agendi & omittendi licite. Unde cum dubitatur, an extet lex vetans aliquid, hoc ipso dubium est, an homo id possit facere licite, ac proinde an sit in possessione suæ libertatis. Ergo jam est petitio principii, & affertur pro principio id, de quo est quæstio. Jam verò cum æquè verisimile est extare legem prohibentem actum, homo non potest licite eum ponere. Nam tunc non potest judicare prudenter illum non esse prohibitum, & sic privatur libertate juris: homo enim nil potest licite agere, nisi prius prudenter judicet, illud esse voluntate divina permiffum vel præceptum; voluntas quippè divina est regula, ac mensura actionum nostræ voluntatis, quæ illi necessario subjici debet: regula autem est prior regulato: ac

proinde prius est aliquid esse voluntate Dei permissum, quàm esse licitum voluntati nostræ; & sic voluntas nostra, ut licite agat, debet cognoscere prius, an illud sit divinæ voluntati conforme: non enim regulari potest à voluntate Dei, nisi præcognita. Prætereà in dubio, seu æquali probabilitate lex generalis subjectionis ad Deum, ut supremum Dominum, ac legislatorem habet possessionem anteriorem, & potiore, quàm nostra libertas; obligatque ad abstinendum ab iis, de quibus dubitamus, utrum Dei voluntati adversentur.

3. Christi jugum suave est. *R.* Est equidem suave, non per laxitatem Doctrinæ, ait enim ipse Mat. 7. *Quàm arcta via est, quæ ducit ad vitam!* Sed tum per gratias uberiores, & majores, quæ in lege Evangelica dantur: tum quia lex Evangelica est charitatis efficientis suave, & leve, quod grave, & amarum erat, ut explicat S. August. Serm. 47. de divers: tum quia lex Christi liberat ab onere innumerorum penè præceptorum Judæis impositorum, & præter præcepta moralia, quæ sunt juris naturalis, pauca merè positiva omnes obligantia continet.

4. In æquali probabilitate pro existentia, & non existentia legis, lex non est sufficienter proposita, nec potest prudenter affirmari. Ergo tunc non obligat. *R. N.* Conseq. quia tenemur servare illud præceptum dubium vi alterius præ-

præcepti generalis certi, nempe, *In dubio tutior pars eligi debet. Cavendum est periculum peccandi, nam qui amat periculum in illo peribit.* Item vñ legis charitatis, & subjectionis ad Deum, præcipientis ut seruetur præceptum dubium, cujus existentia prudenter negari non potest, ne nos exponamus periculo faciendi contra legem verè existentem, & agendi id, quod reipsa displicet Deo.

Obj. 2. Hoc axioma: *In dubiis tutior pars eligenda est:* continet duntaxat consilium, non præceptum, saltem pro omni casu. *R. N.* Nam summi Pontifices locis citatis illud adhibent ut principium morale suæ decisionis ex se obligans pro omni casu: unde utuntur verbo *Debeo*; illudque supponunt ut certum, & lumine naturali notum. Et verò aliàs homo in æstimatione prudenti exponeret se periculo morali agendi contra legem, & peccandi. Nec dicas illos loqui de dubio facti. Si enim in dubio facti pars tutior eligi debet, à fortiori etiam debet in dubio juris: nam tutior pars eligi non debet in dubio facti, nisi quia dubium facti conjunctum est cum dubio juris, in quo non potest haberi persuasio saltem prudens, nec certitudo moralis, quòd electio partis minùs tutæ sit licita.

Dices. Hæc regula: *In dubio tutior pars eligenda est:* intelligi debet solùm de dubio

ne-

negativo. *R. N.* Nam regula generalis est, & æquè spectat positivum dubium, quod est magis propriè dubium. Nam cum æquales occurrunt pro utraque parte rationes, intellectus non potest saltem prudenter non suspendere assensum, cum non sit potior ratio assentiendi uni parti, quàm alteri. Ergo tunc est propriè verum dubium morale, ac prudens. Dubium autem, quod vocant negativum, consistens in suspensione mentis inter utramque partem, quia pro neutra parte occurrunt motiva, non est propriè dubium, sed est mera nescientia, seu ignorantia. Neque enim dubito, an numerus arenarum maris sit par vel impar, sed nescio; & quærenti, num sit par an non, stultè responderem, *Dubito*: ulterius enim quærenti à me rationem dubitandi, nil possem respondere. Præterea in quovis dubio eligens partem minùs tutam exponit se morali periculo violandi legem, & peccandi, nec intellectus potest indicare prudenter partem minùs tutam esse veram, & licere illam sequi.

Dices 2. In dubio positivo potest intellectus ex imperio voluntatis assentiri parti minùs tutæ, ut veræ.

Resp. Id non potest saltem prudenter, eum pars minùs tuta non appareat ei magis vera, quàm falsa; nec id potest saltem sine gravi formidine oppositi, quæ non potest, nisi imprudenter contemni. Unde
talis

talis adhæſio non poteſt excuſare à peccato, & cum ea morale periculum eſt agendi contra aliquam legem, ideòque peccandi.

Obj. 3. Motivum grave non amittit gravitatem ſuam ex eo, quòd concurrat cum motivo æquè gravi in oppoſitum. Ergo motivum grave etiam in concursu æquè gravis ſufficit ad prudentem aſſenſum. *R. N. conf.* Imò quia utrumque motivum retinet gravitatem ſuam in concursu, & ſic ſeſe mutuò elidunt, neutra pars magis apparet vera, quàm falſa: ac proinde intellectus neutri poteſt ſaltem prudenter aſſentire, vel deſſentire; ſed debet ſuſpendere aſſenſum, ac diſſenſum, & ſic manere dubius. Extat autem præceptum generale certum, obligans ad ſequendam partem tutiorem in omni dubio, ne nos exponamus periculo peccandi.

Obj. 4. Nobis obſtant hæ regulæ juris: *In obſcuris minimum eſt ſequendum. Odiâ reſtringi, & favores convenit ampliari.* *R.* Hæ, & ſimiles regulæ intelligi debent ſolum de dubiis facti, & ubi agitur de pœnis infligendis; non autem de dubiis, ubi agitur de licito, & illicito. Quia in dubio de admiſſione criminis, vel de merito culpæ benignior pars eſt tutior. Nam illam ſequens exponit ſe ſolum periculo non condemnandi reum, vel puniendi infra meritum, quod non eſt intrinſecè, ac per ſe malum

lum: oppositam verò sequens exponit se periculo damnandi innocentem, vel puniendi reum ultra meritum, quod est intrinsecè malum. Hinc illa Reg. 152. ff. de Regul. Juris: *In re dubia benigniorem interpretationem sequi non minus justius est, quàm tutius.* Et ista Reg. 11. Jur. in 6. *Cum sunt partium jura obscura, reo favendum est potius, quàm actori.* At in dubiis de licito, & illicito sequens opinionem benigniorem, seu faventem libertati exponit se periculo faciendi contra legem, ac proinde peccat.

Q. 4. *An licet sequi opinionem minus tutam, sed Probabiliorem?*

Resp. I. Tenemur sequi partem tutiorem in iis omnibus, in quibus ignorantia invincibilis, & major probabilitas non juvant ad obtinendum finem, quem procurare tenemur. Quia adhiberi debent media efficacia, si adsint. Hinc tenemur, 1. Sequi partem tutiorem ubi agitur de iis, quæ sunt de necessitate mediæ ad salutem, vel quæ requiruntur ad validam administrationem, & susceptionem Sacramentorum: quia non obtinebitur salus, nec effectus Sacramenti, nisi reipsa ponantur ea, quæ Deus ad hunc finem exigit. 2. Ubi agitur de procuranda sanitate corporis, de victoria, sive in bello, sive in judicio, de vi-

tan-

tando damno proximi, quod cavere teneamur ex justitia, vel charitate, &c. Quia in his non obtinebitur finis debitus, nisi adhibeantur media reipsâ & non solum opinione efficacia. Neque enim major probabilitas opinionis mutat naturam rerum, aut iis efficaciam tribuit, aut impedit damnum. Unde nullatenus est probabile etiam speculative, quod tunc liceat oppositum. 3. Ad tutiorem partem tenetur, qui ad tutiora adhibenda ex conventionem, voto, vel superioris præcepto obligatur.

Resp. II. Licet sequi opinionem minus tutam de licito, quando post debitam veritatis inquisitionem apparet certò, ac valde probabilis, & multò probabilior oppositâ, ita ut excludat dubitationem, & formidinem rationabilem errandi. Prob. quia 1. Alex. VIII. damnavit hanc propos. *Non licet sequi opinionem, vel inter probabiles probabilissimam.* 2. Ex Clero Gallicano supra laudato. 3. Licet sequi iudicium prudens, ac moraliter certum de honestate, seu licitate actûs. At opinio multò probabilior de licito est, seu fundat ejusmodi iudicium: nam sequens opinionem multò probabiliorem de licito, licet minus tutam, iudicat, aut saltem iudicare potest prudenter, & firmiter, actionem suam esse licitam. Ille enim firmiter, & prudenter iudicat, qui in iudicando præfert motiva multò

multò graviora motivis minùs gravibus, quæ præ illis citra culpam, & affectum inordinatum levia, & meritò contemnenda apparent: & sic habet prudentem, & firmam persuasionem, quòd actio sua sit licita, nec ullam habet formidinem erroris; vel si quam habet, illam prudenter repellit, ac contemnit, ut scrupulum; cùm habeat motiva multò graviora judicandi actionem suam esse licitam, quàm sint motiva judicandi oppositum, quæ comparatè ad longè graviora apparent levia, & meritò præ illis contemnenda: proindeque se habent perinde, ac si non essent; motivum enim, quod prudenter contemnitur, perinde se habet ac si non extaret. Ita docet S. Antonin. 1. p. Tit. 3. c. 10. §. 10. & sub fin. hæc ait: *Non enim consurgit certitudo moralis ex evidentia demonstrationis, sed ex probabilibus conjecturis grossis, & figurabilibus magis ad unam partem quàm ad aliam se habentibus.* At ex Reg. 31. Jur. in 6. *Eum, qui certus est, certiorari ulterius non oportet.* Et verò impossibile est, habere Dictamina metaphysicè, aut physicè certa de omnibus agibilibus. Deus autem qui disponit omnia suaviter, non exigit ab homine, ut semper cum evidentia, & certitudine metaphysicà de materiali honestate suæ actionis operetur, quia est supra conditionem hominis in hoc statu semper sic operari, ait Cajet. Itaque
Deus

Deus solum à nobis exigit, ut nunquam operemur sine firma, & prudenti persuasione quòd operatio hinc, & nunc exercenda, sit licita.

Hinc quamvis opinio Guilielmi Parisiensis docens hominem statim atque peccavit, teneri ad Confessionem, sit tutior; nemo tamen peccati arguit eum, qui Confessionem aliquantis per differt: quia opinio opposita S. Thomæ est multò probabilior, & tuta.

Dixi *multò probabilior*. Nam non licet sequi opinionem minùs tutam, quæ apparet solum paulò probabilior tutiore. Quia in moralibus parùm pro nihilo reputatur; & quia exiguus probabilitatis excessus non fundat certitudinem moralem, nec excludit formidinem rationabilem erroris, nec proinde tollit periculum probabile peccandi.

Obj. Opinio tutior licet minùs probabilis, est adhuc probabilis, habet motivum grave, &c. *R.* Ita est, si absolutè, & seorsim spectetur, non autem si spectetur comparatè ad oppositam longè probabiliorem, & relatè ad operantem. Nam tunc ejus motivum operanti apparet leve, sicut prudenter contemnatur præ opposito longè graviore, ac proinperinde se habeat, ac si non esset.

Not. Duplex est formido, una logica, quæ est essentialis omni assensui opinativo.

& consistit in actu, quo intellectus cognoscit, non repugnare præcisè ex vi motivi assensûs rem aliter se habere, atque iudicat: & altera moralis, quæ est accidentalis assensui opinativo, & ab eo separabilis, consistitque in actu, quo intellectus dicit, rem fortè aliter se habere, sive quo non leviter suspicatur, rem aliter se habere, atque iudicat. Hæc sola formido repugnat certitudini morali.

Q. 5. Ad quid tenemur, quando opinio est probabilis extra concursum?

Resp. I. Tenemur servare præceptum, quando opinio affirmans illud existere, est unicè probabilis. Quia 1. tenemur servare præceptum, cuius existentia apparet æquè probabilis, ac non existentia; ut probavi: ergo à fortiori, si ejus existentia appareat unicè probabilis. 2. Homo in hoc casu potest prudenter iudicare, legem existere, nec id potest, nisi imprudenter negare; cum habeat grave motivum id asserendi, & nullum habeat negandi. At quisque tenetur servare legem, quam potest prudenter iudicare existere, vel quam non potest nisi imprudenter negare. Ergo.

Resp. II. Licet sequi opinionem minus tutam, seu negantem præceptum, quando est unicè probabilis, ita ut excludat omnem formidinem saltem rationabilem peccandi. Quia illam sequens potest iudicare prudenter, & firmiter actionem suam esse

esse licitam: nam habet motivum grave id judicandi, & nullum habet aliter judicandi. Unde nec habet anxietatem, nec formidinem erroris; aut si quam habet, potest eam contemnere ut scrupulum, quippe quæ careat fundamento saltem rationabili. Sic Rusticus licite omittit sacrum eo die, quo ejus Pastor, vir probus, & doctus existimatus, asserit ad illud non teneri, si nullum habeat motivum judicandi oppositum, nec suum Pastorem falli, aut fallere, ex c. 44. *de sentent. excom.* unde tunc talis opinio est certa practice, & relate ad operantem, quamvis speculative, & absolute spectata sit duntaxat probabilis.

Quod si contingat talem opinionem esse reipsa falsam, error est invincibilis.

